Exempla sunt hic vers. 12. *&* 20. *cap.* 17. *Genes. v.*14. *cap.*24. *v.*44. *cap.*38. *v.*21. *&* 25. *Exod.*3. *v.*8. *Bellarm.* l.cit. *Huntlæus* cap.18. Epitom. controver. m. 1. & 2. p.84. *Cornelius à Lapide* in comm. & *Marsennus* contra Sixtinum ab Amama pag.332. qui posteriores duo ferè omnia, quæ habent, ex Huntlæo descripserunt.

Resp. 1. Denuò repeto, non sufficere hoc locô *τὸ Posse*, sed requiri *τὸ oportet.* 2. Totum argumenti corpus lubrico falsæ hypotheseos fulcro innititur, quâ nempè Jesuitæ sibi persuasum habent, puncta Heb. esse recens inventum Rabinorum, hanc enim nos non acceptamus. 3. Quàm elumbis sit hæc consequentia: Sæpè ponitur הוא pro היא E. & h. l. nemo non videt, qui cerebrum non in calcaneo gestat. 4. Exempla nobis objecta, sunt *ἀλόγεια*: nam (1) pro nomen in illis nunquam *Vau Schureck*, sed *Chireck* habet (2) multis diversitatis parasangis à nostro præsenti loco distant: Nam in *illis* semper vel præcedit, vel sequitur fæmininum v.g. v. 12. cap. 3. הוּא הָאִשָּׁה נָתְנָה-לִּי v.20. כִּי הִוא הָיְתָה אֵם כָּל-חָי cap. 17. v.14. וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא cap 24 v. 44. הוּא הָאִשָּׁה cap. 38. v. 21. אַיֵּה הַקְּדֵשָׁה הִוא v. 25. הִוא מוּצֵאת Exod. 3. v. 8. מִן-הָאָרֶץ הַהִוא. *Hoc locô* autem præcedit masculinum זֶרַע sequitur verbum masculinum יְשׁוּפְךָ nec non affixum relativum in eodem genere תְּשׁוּפֶנּוּ Nihil ergò commercii habent cum nostro classico effato. 5. Sine ulla ratione *Huntlæus* & *Cornelius* mysterium in allegatis hiscê locis quærunt. Ex cujus enim mammillis exsuxerunt hoc principium, quod in jam attactis dictis aliquid mysterii subsit? Sic v. g. dictum Gen. 3. v. 12. הוּא נָתְנָה-לִּי *Huntlæus* ita exponit: *Ipsa h. e. Ipsissima* (non alia) *mihi dedit*, ita ut pronomen hîc non tàm *Ipsam*, quàm *hanc Ipsam seu Ipsissimam* designet. Ast nullum profert assertionis suæ fundamentum. Quæ enim *Adamum* coëgisset necessitas, ut diceret: *Hæc ipsa mulier & non alia dedit mihi &c.* cùm tùm temporis præter Evam nulla fæmina fuerit. Simile judicium de cæteris esto.

III. *Hæc*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372451098/9 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG